AD QVODLIBETARIAM.

QVAESTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VII. IANVARII MAGISTRO IOANNE DE BOVRGES DOCTORE MEDICO MODERATORE.

606

An à semine morbi hæreditarii?

MAGNA vis ad benè salubritérque viuendum ducitur ex vniuscuiúsque ortu & primordiis, in iis verè consistit μοῖρα πεπρωμένη. Benè habiti parentes atque sani benè natos edunt liberos; senes & valetudinarij studio quidem propagandę sobolis rei venereæ operam dant, sed vt plurimùm magno suo, nec-non genitæ prolis detrimento, in quam non mores duntaxat animi proprios, non tantùm figuræ seu effigiei similitudinem, sed & morborum, quibus laborant, procliuitates ne arte quidem Medicâ emendabiles transferunt: Seminis & menstrui generationis humanæ principiorum qualis conditio, talis fœtus natura, talis διάθεσις.

MENSTRVVS sanguis merè passiuum nostræ generationis principium, excrementũ laudabile alimenti vltimi partium carnosarum, musculorum carnes & viscerum parenchymata constituens, totum denique fœtum nutriens, altera est tẽperamenti constitutionísque causa, suorúmque vitiorum sigilla (leuiùs tamen quàm semen) in corporibus imprimit: hinc variolę, epidemicę, non hæreditariæ. Cui cibo pręgnans cum voluptate assueuerit, idem futurus est fœtui iucundus, vinosa vinosum profert; gestationis tempore pleuritide, aut febre quartanâ laborans prolem gignit in pleuritidem & febrem procliuem: quid plura? ex materno sanguine morborum opportunitates in fœtum abire qui nescit, nihil scit.

SEMEN alterum generationis principium, materia est humida, spumosa, spiritu, eóque non cœlesti sed elemẽtari; perfusa, omnium partium ideam in se continens, ex sanguine minimè deciso à toto corpore, quem cùm testes, principes partes & indiuiduo & speciei necessarij, proliciunt, ei nobilem illam vim γεννητικὴν impertiunt; ab eo tanquàm efficiente totum opus generationis promouetur, ex eo tanquam materiâ mirabilis ille partium spermaticarum ordo & structura delineatur, è quarum temperie aut sanitas, aut morbus.

MAS fœcundum perfectéque elaboratum semen, distento & rigido iustę magnitudinis pene in vteri ceruicem κατ' ἕξιν & impetu, maiori quàm fœmina voluptatis sensu, iaculatur: idipsum vterus eodem instanti ore interno quasi manu arripit, eiúsque sopitam vim ingenitâ proprietate dum suscitat, tandem conformatrix facultas (non ab vtero, non à generatiua parentum, non à calore innato seminis, sed ab animâ eáque rationali tertio post conceptum die adueniente, dependens) primùm, non cor solùm, Peripateticis falsò πρῶτον ζωτικὸν, sed tres simul partes principes, tandem & his famulantes effingit.

CONFORMATRICIS huius potentiæ diuina licet in agendo vis, minor tamen, quàm vt materiæ, cui perficiendæ incũbit, prauam διάθεσιν valeat omni ex parte emendare; nec potest, quicquid agat, quin vbi versatur circa semen ab ægris parentibus deciduum, inustam ei labem vnà cum partium characterismo fœtui communicet: quæ nempe ex intemperato huiusmodi & impuro semine partes oriũtur, nonnisi debiles, & morbis pluribus, at pręsertim hæreditariis (quos tamen victus ratione legitimâ, nec non prophylacticis phlebotomiâ & catharsi præcauere licet) obnoxiæ sunt futuræ: non itaque mirum si calculosi parentes calculosam, podagrici podagricam, phthisici phthisicam, epileptici epilepticam, non minùs morborum quàm possessionum hęredem generent sobolem.

Ergo à semine morbi hæreditarii. 53

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS CHARPENTIER Parisinus, A.R.S.H.M.DC.XXI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Nicolaus Regnier.	*M. Franciscus Bouionnier.*	*M. Ioannes le Mercier.*
M. Joannes de Bourges Præses.	*M. Ioannes Tournier.*	*M. Michaël Toutain.*
M. Valentinus Hyeraulme.	*M. Iacobus Perreau.*	*M. Robertus le Secq.*